ASSERTA THEOLOGICA

Juxta inconcuſſam Subtiliſſimi Theologorum omnium
Principis Joannis Duns Scoti Doctoris
Mariani mentem expoſita.


CELSISSIMO DOMINO

D. CÆSARI MICHAELI
ANGELO DAVALOS
DE AQVINO, DE ARAGONIA

Marchioni Piſcariæ,& Vaſti: Principi Francavillæ, Civitatis Iſerniæ,& Sacri Romani Imperij: Comiti Montis-Odoroſii, Scierni, Pollutri, Caſalis-Bordini, Caſalanguidæ, Furci, Liſciæ, Lentiolæ, Giſſi, Guilmi, Collis-Medii,& Villarum Cupelli,& Alphonſinæ: Domino Inſularum Prochytæ, Bivariæ, & Sancti Martini, Civitatis Lanxani, ejuſque Villarum : Serræ Capriolæ, Chieuti, Ducatus Montis-Nigri, Montis-Itiliæ, Montis-Belli: nec non Terræ Taureni , & Baronatuum Riporſorum, Roccæ Varallæ , & Saxi: Magno Camerario perpetuo Regni Neapolitani,& perpetuo Gubernatori Fortalitij Civitatis & Inſulæ Iſchiæ : Inter Magnates primæ Claſſis Hiſpaniarum bis Magno: Aurei Velleris Equiti, Campi Mareſchallo, & Sacræ Cæſareæ Catholicæ Majeſtatis Status Conſiliario, &c.

A. P. F. Michaele à Sancto Marcellino Seraphici Ord. Min. de Regulari Obſervantia Almæ Provinciæ Terræ-Laboris Filio, Prædicatore, & Sac. Theol. Lectore Generali in debitæ gratitudinis authoramentum

DICATA



NEAPOLI, Per Jo: Roſellium M.DCC.XVII. : *Superiorum facultate*

Digitized by Google

CELSISSIME PRINCEPS

NOn diu excogitandum putavi cujus patrocinio ſubmitterem Theologica hæc mei obſequij munuſcula, ex quo lucidiſſimam tui nominis umbram pro mente habui; & meritò quidem: ſub cujus enim auſpiciis palladium in pulverem me deſcenſurum optarem, ni ſub CELSISSIMO Regni hujuſce Archiſtratego? Quis enim in te Magne Heroum Anteſignane, ſua intendens lumina, aſceticum decoris apogæum non agnoſcet? De te quidem, ſi, vel animo obſequi poſſem, vel abſq; tui injuria pudoris effari fas eſſet, concinnandam penitùs non ignoro panegyrim, dum ad tantam perſcrutantium animos rapis admirationem, ut ipſamet demirantium ora concludas: Tuum quippe eſt magneticis quibuſdam nexibus æquè tibi omnium obſequia, necnon linguas perſtringere; ſed ut elinguis inſtar diſertiſſimus quilibet multum conticeſcat, oblivionis vindex fama perorat: Ipſa ſiquidem ad perennem tui Nominis gloriam, ad immortale tui celeberrimi ſtipitis decus præcipua illa proferet ornamenta, quæ ipſimet Archigraphi non valent explicare, inter quæ inimitabilis illa animi amplitudo, qua ſummis ades, infimis non dees, primum ſibi vindicat locum. Solent quidam Moroſophi clariora Principum ſerta ex pervetuſtis Atavorum palmis coaptare; Unde ego etiam, ni te laureis aplutum indicare dubitarem, præclariſſima quidem procerum tuorum, quibus collætaris, referrem apophtegmata; ne vero iiſdem tribuenda, quæ tua ſunt, laudum acumina

vi-

Digitized by Google

videantur, cuncta ſilentio prætereunda opere prætiũ duxi: Haud ſiquidem ignorant præcipui hujuſce Regni Primates te nemini ſecundum cum generis Nobilitate, tum virtutum hereditate juremerito habendum, de quo ſat eſt replicare ex fortiſſimo ACHILLE ortum habuiſſe, qui Solem radijs, Alcidem robore, Achatem fidelitate ſuperavit: Vanum ergo, ac omnino ſuperfluum foret inter nobillimos tui generis Duces fortiſſimum illum RUY LOPES DAVALOS referre, cui ob debitum gratitudinis momẽtum Henricus Rex Legionenſis Ribadeum tradidit comitatum; imò ad remuneranda præclariſſima ejuſdem trophæa Caſtilienſem Comeſtabilem inæquabili totius legionis gratulatione declaravit: Vanum quidem Alexium illum Comnenum Imperatorem obijcere, qui Iſabellam ſororem THEODORO DAVALOS inter Fortiſſimos primo, inter Nobillimos nemini ſecundo matrimonio jungere minimè recuſavit; cæteris ergo memorandum relinquam FRANCISCUM FERRANDUM DAVALOS, quem non immeritò Carolus V. ducibus omnibus præferendum, nedum ſingulari animi fortitudine, ſed ſtupendis etiam bellicorum operum inventionibus proclamavit; Unde Magnum Piſcariæ Marchionem declaravit: ALPHONSUM etiam DAVALOS Mariæ Aragonenſis virum ſilebo, qui generis Nobilitati morum integritatem, facultatum omnium decus, necnon placidiſsimam formæ venuſtatem mirabili quodam nexu copulavit: Silebo tandem FERRANDUM II., INNICUM, CÆSAREM, JOANNEM, CAROLUM, alioſq; innumerabiles, quorum nomina fama oblivionis vindex dicavit æternitati, quibus omnibus ALPHONSUS I. Aragoniæ Rex copio-

ſa

ſa largiri munera non dubitavit; Sufficiet enim ad hoc integra Jovij percurrere volumina, ſufficiet omnium ferè hiſtoricorū dicta revolvere ad penès incredibilia Heroum DAVALOS geſta demiranda, ibi enim Coronas ipſorum in manibus depoſitas, Arces ipſorum pedibus ſubjugatas, devictos duces, palmas exceptas fas erit percontari; Improbum enim, CELSISSIME PRINCEPS, improbum quidem mihi viſum fuit rudi calamo, brevique curriculo Familiam illam celebrare, quæ non fucato quidem, nō adventitio reſplendet lumine, ſed ſua ſe prodit luce, Majeſtate ſe commendat ſua; Verùm enim verò, ut verum fatear, ſi nulla adhuc tibi de tuo tam celebri ſtipite Stemmata proveniſſent, Tu quidem propriis, quibus, non ſine maxima totius Orbis admiratione, laureis donaris, propriis, quibus nites radiis, propriisque geſtis, quibus meritò gloriaris, cuncta Procerum tuorum præconia obumbraſti, quibus omnibus ſicut Macedonenſi Philippo, ſic, & ipſis ad maximum gloriæ augumentum ſuffeciſſe videtur MICHAELEM ANGELUM CÆSAREM illum habuiſſe Filium, quem Auſtriacus, ac Inviſtiſſimus Cæſar inter præcipuos ſuæ Sac. Cæſareæ Catholicæ Majeſtatis Status Conſiliarios, actualem apud eundem Caroli Hiſpaniarum Monarchæ legationem exercentem, connumeravit; Illum inquam, CESAREM, quem inter Magnates primæ claſſis Hyſpaniarum bis Magnum, inter Principes Celſitudinis ter Celſum, imò, & Celſiſſimum proclamavit; Illum, tandem, CÆSAREM, quem Regnum Neapolitanum, ut ſuum Magnum Camerarium perpetuum; Inſula, necnon Fortalitium, & Civitas Iſchiæ ut ſuum perpetuum Gubernatorem, & univerſus Orbis, ut præclariſſimum vir-

tutum

tutum omnium exemplar veneratur: Quæ cum ita ſint, cuinam hæc Theologica munuſcula tutiùs demandarem? Quodnam fortius, præter te, huic literario certamini Numen præfigerem; & prorſus inermis quonam feliciori auſpicio hujuſmodi pugnam aggrederer? Te ſiquidem auſpice palmam præ manibus mihi geſtare jam videor, cum tua ſub umbra militare ſummæ ſit felicitatis, Te vindice pugnare, abſoluti jam, ac conſummati triumphi. Certant ſiquidem pro me tuo e vultu virtutes, quæ ità in te uno mirabili quodam fœdere uniuntur omnes, ut ſi ſingulæ in ſingulos diſtribuerentur, maximum eſſent unicuique decus allaturæ. Certat pro me tua Benignitas, qua ita populos reficis, ac recreas, ut tibi uni non vivas, cum tamen omnibus vivas. Certat modeſtia, quæ tuo in vultu ſedem ſtatuit ſuam. Certat Juſtitia, qua ſua unicuique bona ſarcta tecta cuſtodis. Certat Prudentia, qua ad tuorum ſubditorum incolumitatem ſervandam, & in legibus adimplendis conſtantiam, & mirabilem in judicando æqualitatem, tanquam radios ubique diffundas, atque ita diffundas, ut nihil admodum ſit, quod ad eorumdem felicitatem, vel ad tuæ dignitatis gloriam deſideretur. Certat denique pro me tua erga Seraphicum Ordinem Pietas, & Religio, quam vel inde à pueris cum lacte ſuxiſti. Plura dicerem, HEROS CELSISSIME, ni vererer, aut ingenioli mei tenuitate tuam gloriam deterere, aut memoria tuorum laudabilium geſtorum pudorem tibi parere, ac verecundiam. Accipe ergo, ea, qua Soles, benignitate hoc quodcumque eſt mei erga te grati animi momentum; nam licet leve ſit munus, pro accipientis adhuc comitate non erit ingratum, pro exhibentis inopia non indecorum. Vale, utque diu tuis prodeſſe poſſis, vive diu.

pe[illegible]ia. Angelos damnatos poſſe quoad ſubſtratum peccâ ti,ſolum ve [illegible]aliter peccare, nihil obſtat.

VII. Habituale peccatum (quod eſt cauſaliter ſolum voluntarium) quidquid alij dicant, eſt formaliter reatus, vel obligatio ex actu peccaminoſo non remiſſo contracta: in ordine ad pœnam peccato debitam, & correſpondentem.

VIII. Omiſſionis peccatum abſque omni poſitivo actu dari poteſt. Veniale cum ſolo originali, nedum ex natura rei, ſed etiam moraliter eſſe non repugnat. Ad malitiam moralem contrahendam ſufficit voluntarium interpretativum.

IX. Potentia peccandi pro toto poſitivo in ipſa reperto, verè eſt à Deo, non vero ut dicit ordinem ad formale peccati; ad quod non efficienter, ſed permiſſivè tantùm: ad materiale autem phyſicè,& realiter Deus concurrit.

X. Præceptorum pluralitas ex eodem motivo ad plurificanda peccata non ſufficit, èx oppoſita rectitudine, peccatorum (per ſe loquendo) inæqualitas eſt deſumenda. Nequit manere debitum ad pænam æternam cum remiſſione peccati.

EX TERTIO SENTENTIARUM

De Piiſſimo Redemptionis humanæ myſterio

I. VErbi Divini in carne paſſibili adventus ad redimendum homines ſatis conveniens, haud ſimpliciter neceſſarius fuit; & hoc myſterium (quod non repugnat) nequit naturaliter creatus intellectus demonſtrare, aut evidenter inferre, niſi ex Sacris Scripturis.

II. Verbum Divinum adhuc veniſſet ex vi præſentis decreti, non exiſtente originali peccato. Naturam humanam exiſtentem, ſingularem, ſed propria perſonalitate carentem aſſumpſit in unitate ſuppoſiti, ipſius naturæ dependentiam hypoſtaticè terminantis.

III. Ratio formalis ſic terminandi naturam humanam,fuit ſola Verbi Divini relativa proprietas. Potuit hic Deus, ſeù individuum Deitatis, naturam creatam immediatè terminare, illam in ſe ſuſtentando, non tamen perſonando.

IV. Quælibet perſona disjunctim, non ſimul, potuit ſibi aſſumere eandem naturam, vel plures ſimul ſpecie, numero vè diſtinctas; aut naturam natam frui, quæ tamen Deo non frueretur: vel quæ Deum videat, & ipſo non fruatur.

V. Unio

V. Unio hypoſtatica eſt reſpectus extrinſecus adveniens: ob extrema propriè ſubſtantialis. In Chriſto Domino ſunt duæ naturæ, duæ voluntates, duæ filiationes reales, & una perſona. Vidit in Verbo (habitualiter ſaltem) quæ Verbum videt.

VI. Satisfecit de condigno pro peccatis omnibus, non tamen de toto rigore juſtitiæ. Potuit de potentia abſoluta aliqua pura Creatura ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem, etſi non excedenter, ut Chriſtus Dominus ſatisfecit.

VII. Chriſti Domini meritum (quod non fuit formaliter infinitum, ſed tantum extrinſecè) non ab unione hypoſtatica, &c. pendebat, ſed à gratia habituali: qua (ſumma quidem negativè, ſed finita intrinſecè) Deo ſemper gratus fuit, & dilectus.

VIII. Anima Chriſti D. fuit impeccabilis (de facto nempè, & proximè non de potentia abſoluta, & ex ſe) idque non ex vi unionis hypoſtaticæ, ſed ex ſumma beatitudine derivabat; qua (creata ſcilicet) ſemper cumulata fuit.

IX. Omnibus ſuis actibus, etjam beatificis meruit: & proprijs ſolius hominis: Habuit libertatem, non proximam, & expeditam contra obſervantiam, & non obſervantiam præceptorum, ſed tantùm remotam; & hæc, ex ſpeciali Dei privilegio fuit ſufficiens ad meritum.

X. Ut homo, eſt Filius non propriè naturalis, vel adoptivus, ſed proprius Dei: eſtque in eo ſervitus, non legalis, vel politica reſpectu Dei, ſed naturalis. Verè triſtitiam habuit, & verè nunc in Cœlo pro nobis exorare dignatur.

De Fide, Spe, & Charitate

I. Fides infuſa eſt habitus intrinſecè ſupernaturalis: una ſpecie in omnibus: vera Theologica virtus: ſolùm practica: non diſcurrit: nequit ei ſubeſſe falſum, objectum quod, Deum: formale quo, primam veritatem in dicendo habet.

II. Omni tempore poſt lapſum primi parentis neceſſaria fuit ad ſalutem: requiritur in re, nec ſufficit in voto: at divinitùs abſque ejus actu poteſt quis juſtificari; & in aliquo caſu ignorantia invincibilis rerum fidei dari.

III. De objecto evidenter cognito repugnat actus fidei; cum charitate, & ſine illa ſalvatur; ultimò reſolvitur in primam veritatem revelantem: ad ipſam Eccleſiæ teſtimonium ſe habet ut conditio, ſine qua non; & revelatio privata ſufficit.

IV. Ad actum fidei poſitiva motio voluntatis prærequiritur, nec negati-

gativa ſufficit; non repugnat tamen de potentia abſoluta aſſenſum fidei re vera ab intellectu circa objectum obſcurum elici, abſque ullo voluntatis actu.

V. Suis actibus per realem eorum additionem augetur; haud ipſa (nec ſpes) in beatis, damnatis, hæreticis, & infidelibus manet. Deum per ſe, vel per alios poſſe mentiri, vel alicui ſpeciem erroris unquam immittere, eſt impoſſibile prorſus.

VI. Habitus ſpei infuſæ ad ſupernaturaliter ſperandum coadjuvat; eſt fide prefectior: ſubjectivè ineſt voluntati: Deum pro materiali: pro formali verò objecto Divinam bonitatem habet, ut eſt apta perficere, & nos decorare.

VII. Poteſt (eſtò non regulariter) de potentia abſoluta Deus alicui damnationem ſui revelare, etiam juſto; cui autem certò fieret talis revelatio, non poſſet, nec teneretur ſperare Beatitudinem, imò poſſet, licitè deſperare, & nolle.

VIII. Charitas in voluntate ſubjectatur; gratiæ habituali eſt realiter eadem, & ſolùm connotatis ab ea differt; ejus primarium, & adæquatum objectum eſt Deus, quà infinitè bonus eſt, & prefectus in omni ratione entis.

IX. Actu etiam remiſſo, & aliarũ virtutum augetur in juſto Charitas: ſed non niſi per realem novi gradus ad gradum additionem; nequit tamen in infinitum intendi: & dàbilis eſt Charitas, qua nequeat perfectior ulla à Deo produci.

X. Eodem actu Deus, & proximus poteſt diligi: & ſupernaturalis amor ex ſpeciali Dei auxilio ſine habitu charitatis haberi. Hæc in via, & in patria eſt eadem ſpecie, & poteſt ejus actus perfectior eſſe in viatore, quàm in beato.

EX QVARTO SENTENTIARUM

De Eccleſiæ Sacramentis

I. SAcramenta à Chriſto Domino inſtituta (quæ congruum, non ſimpliciter neceſſarium fuit inſtitui) ſolus Deus potuit inſtituere. Perdurante ſtatu innocentiæ, fuiſſent. In lege naturæ, & ſcripta fuit aliquod proprium Sacramentum.

II. Ut valida fiant, res, verba determinata ſubſtantialiter, intentio (ſaltim virtualis) Miniſtri, non fides, vel ſanctitas requiruntur. Ex opere operato gratiam efficiunt: ſed moraliter tantùm: ſic quoque, & olim circumciſio.

III. Cha-

III. Character realis per Sacramenta aliqua datur: ac authoritate ſolùm Eccleſiæ id conſtat. An qualitas ſit, vel reſpectus extrinſecus adveniens? elige. Voluntati ineſt: indelebilis eſt, regulariter: & adhuc pro alia vita durat.

IV. Baptiſmi Sacramentum ſine proprio conſenſu conferri nequit adultis; ſi cum mortali accedant, prærequiritur in eis attritio. Parvuli non baptizatorum, & infidelium, aliquando invitis adhuc parentibus, licitè baptizari valent.

V. Delet omnem culpam, & pænam; gratiam confert omnibus æqualiter. Juſtificatus extra baptiſmum (ut fieri non implicat) ad ipſum adhuc jure divino tenetur. Poteſt originale divinitùs per extrinſecam condonationem remitti.

VI. Confirmationis ſubjectum capax eſt homo viator baptizatus, etiam perpetuò amens; materia proxima, unctio; quæ debet fieri in fronte, & immediatè per manum Epiſcopi; vel ſimplicis Sacerdotis, ſi accedat Papæ delegatio.

VII. Euchariſtiæ materia remota non habet ex ſe terminum in magnitudine, ac parvitate ſenſibili. Tranſubſtantiatio fit per actionem adductivam tantùm. Corpus Chriſti, nec per miraculum à ſenſu, vel oculo corporeo videri poteſt.

VIII. Pænitentiæ Sacramento (quod eſt ſecunda Tabula poſt naufragium) peccatum quantumvis grave, remitti poteſt. Abſolutio non cadit ſuper abſentem. Præter ordinis, juriſdictionis poteſtatem in legitimo Miniſtro requirit.

IX. Extrema Unctio à pluribus partialiter dari poteſt; ad recipi non obligat ex præcepto. Una unctio, ſi omnes ſenſus exprimat, poteſt dare gratiam; adultis, & graviter infirmis (etiam ſi tales nunquam peccarint) confertur.

X. Si nondùm adultus ſacris initietur: & præsbiter per ſaltum, adhuc remanent ordinati. Quod eadem uxor pluribus nubat viris, naturali etiam legi repugnat. Matrimonij objectum eſt vinculum, non copula; Miniſtri ſunt conjuges.

De Triplici alterius vitæ Pæna

I. DAri Purgatorium Sacra Scriptura, Concilia, & Patres concludunt, ac ratio perſuadet: eſtque locus verè materialis, aſper, obſcurus: inferno conjunctus: verum ignem habens; & regulariter unus, ac idem pro cunctis purgandis.

II. Ibi certæ de ſalute, pœnas (quæ voluntariæ ſunt conditionatè, non abſo-

abſolutè : & majores omnibus hujus vitæ) temporalis damni, ac ignis, & fortè alias ſenſus animæ purgandæ ſubeunt; at una diutiùs, & intenſiùs alia : & mereri, ac demereri nequeunt.

III. Eo' animas ab Angelis ferri;& ibi non à dæmonibus torqueri, probabilius. Aliquas uſque ad diem Judicii ibidem manſuras, & cruciandas, eſt veriſimile. Quæ fiunt in mundo, non regulariter, ſed ex ſpeciali Dei revelatione vident.

IV. Ex Eccleſiæ praxi, & Patrum doctrinis ſemper fuit pro mortuis oratum : Satisfactione, & impetratione fidelium, aliiſque pietatis operibus, & officijs in Deum, proximum, templa, &c. impenſis, levamen recipiunt, & verè juvantur.

V. In Inferno conſtituto in centro Terræ, eſt verus ignis corporeus; eoque per æternam punitionem verè torquentur damnati ſpiritus; at non aliunde, niſi quia eos detinet definitivè, & immutat objectivè nolentes.

VI. In damnatis juſtiſſimæ ſunt, multiplices, & æternæ (adhuc tamen citra condignum) pęnæ tùm ſenſus, tùm damni; ſuntque inæquales, pro inæqualitate culparum. Poſt judicium damnatos actione reali, & intentionali cruciabit ignis.

VII. Peccato veniali conjuncto cum mortali : & mortali hic remiſſo pæna temporalis, non æterna in inferno correſpondet. Damnatorum obſtinationis cauſa eſt divinæ gratiæ juſta ſubtractio, ratione eorum ſtatus in termino.

VIII. Actum aliquem imperfectè bonum habere poſſunt damnati. Eorum corpora localiter moveri, incertum. Aliorum beatitudinem in pænam abſtractivè cognoſcunt : Malorum, quæ patrarunt, recordantur; aliquos inter ſe cognoſcent : ſed an omnes non conſtat.

IX. Decedentes cum ſolo originali peccato, poſitivè damnantur ad pænam damni perpetuam, nempè carentiam viſionis Dei; at ſine ullo dolore, aut triſtitia: ac in ſtatu inter Beatos, & damnatos medio, qui eſt Lymbus, conſtituuntur.

X. Nulla intrà, vel extrà Cœlum Beatitudine fruentur; quod de connaturalibus cognoſcibilibus ſcientiam acquirent, probabile. Si Beatitudinis ſupernaturalis notitiam haberent (quod incertum) de tali carentia minimè triſtarentur.

FINIS.

Digitized by Google

Publico exponentur certamini in Regali Eccleſia S. Mariæ Novæ Neapolis: Objectis ſatisfaciente F. Ferdinando a Prochyta ejuſdem Ordinis, & Provinciæ, ac Sacræ Theologiæ Studente Generali ſub Aſſiſtentia R. P. Michaelis à S. Marcellino Lect. Gen. qui ſupra. Anno 1717. *Menſe*
Die *Hora*

VA1 1518490.

Digitized by Google